



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sanctimoniali tentata, quam Christus complexus est, cap. 16.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

multosque tam verbo quam exemplo edificat, & in fide confirmat.

## CAPVT XIII.

**I**N supradicto Claustro alius quidam frater magnam longamque tentationem habuerat, dicentibus cogitationibus suis, vt heremita fieret: adeo hac tentatione deuictus fuit, vt aliqua etiam loca perlustrauerit, explorans aptum sibi habitaculum. Tandem conuersus ad beatam Virginem, ei se totum commisit, ipsam sibi ipsi pro se fideiussorem constituens, quod quicquid ipsa suggessisset, hoc ille sine cunctatione aggrediretur: cumque ad beatam Virginem sub hac conditione sapius recurreret, quadam vice oranti ei coram altari vox insonuit, dicens; Fideiussorem me contulisti, ego me absoluere volo. Ille vero erigens se, vidit virum venerandi habitus ante altare assistere, crucem in manu tenere, crucifixi sancta quinque vulnera digito superinducere, & sic videnti dicere; Sic omnis qui ordinem istum, quem professus es, seruauerit, Dominum nostrum perungit, sicut me vides facere: & sic ille a tentatione sua liberatus est.

## CAPVT XV.

**B**EATÆ memorię Christinę de Volmunsteine, cuius supra memini, etiam crucifixus apparuit, & homo senex iuxta eum, qui ex pixide, quam in manu habebat, perungebat vulnera illius. Genus tamen visionis discernere non valeo.

## CAPVT XVI.

**A**LTERI cuidam sanctimoniali ordinis nostri, quæ nominare nolo, tempore quodam, cum esset grauisimè tentata, Dominus Iesus Christus totius ecclesię sponfus, visibiliter apprensus, amplexatus est eam, & omnem illius turbationem in magnam conuertit tranquillitatem. Ecce his omnibus exemplis habes, quod visio dominicę passionis, nec non & meditatio atque compassio, maximum contra tentationes sit antidotum. Sunt & in illa multiplices consolationes; sicut subiecta declarabunt testimonia.

CAPVT